



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm XXVIII. Nullus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

sicuti Ordinis Prælatus cogere non potest Religiosum ad acceptandam dignitatem extra ordinem, ut dixi Th. mor. lib. 4. tr. 2. c. 15. q. 3. dicto 2. ita nec cogere potest ad retinendum, seu non renuntiandum; consequenter sine licentia eius renuntiare potest. Ratio est, per quam etiam satisficit argumento sententiarum contrariarum: Quia Religiosus velle & nolle non habet, seu ex voluntate Prælati pendet in ijs tantum, quæ ad Ordinis regulam & institutum spectant: Prælatura autem extra Ordinem magis subducit Religiosum à regula & instituto, &c.

CAPITVLVM XXVIII.

Nullus.

SUMMARIVM.

Religiosus in Abbatem, seu Ordinis sui Prælaturam eligi non potest, nisi sit expressè antè professus; potest tamen tacitè professus, vti & Ordinis nouitius eligi ad Episcopalem dignitatem, seu in regulari, seu seculari ecclesia.

Religiosus in Abbatem, seu Ordinis sui Prælaturam eligi non potest, nisi professionem expressam antè ediderit: alioquin electio irrita est. Verùm ad dignitatem Episcopalem, seu in regulari seu in seculari ecclesia, qui tacitè professi sunt, sicuti & Ordinis Nouitij, eligi non prohibentur.

NOTANDVM Vn. Qui tacitè, siue ipso facto in Religione professus est, tamen cum alijs eligere possit, c. ex eo, 32. §. In ecclesijs, hoc lib. & tit. tamen eligi non potest in Prælaturam Ordinis: sed requiritur, vt expressè professus sit. Vide, quæ de modis expressæ, & tacitæ professionis dixi lib. 4. Th. mor. tr. 5. c. 5. Porro, cur ad episcopalem dignitatem euehi possit Religiosus, qui nõ expressam professionem edidit, ratio indicatur in textu: Quia ad eam etiam Ordinis Nouitij atque Clerici seculares admittun-

tur, si ecclesiæ regendæ idonei sint. Vide Gl. hic, & c. 1. ne sede vacante.

CAPITVLVM XXIX.

Cum expediat.

SUMMARIVM.

Forma electionis tradita supra in c. cum dilectus 32. non est sublata in can. Quia propter.

Innoc. III. in c. cum dilectus, 32. approbavit hanc eligendi formam: Si Capitulares compromittant in aliquos, vt eum, in quem maior & sanior pars, secretò inquisitis singulorum suffragijs, consenserint, eligere debeant. Hanc formam suspicabantur sublatam esse in can. Quia propter, quandoquidem in eo triplex tantum electionis forma approbatur: videl. per scrutinium, per compromissum, per inspirationem. Dicitur autem eligendi modus ad nullam harum electionum spectare potest. Hanc dubitationem soluens Bonifac. VIII. respondet, formam illam compromissi traditam ab Innoc. III. sublatam non esse in Concilio Lateranensi per can. Quia propter. Nam magis expedit, vt si fieri possit, iura iuribus concordent, quàm vt eorum correctio inuehatur. In casu autem proposito iura conciliari possunt, si videl. dicamus, formam traditam in c. cum dilectus, esse veluti mixtam ex scrutinio, & compromisso; seu ex vtraque participantem.

Sed quæritur: Vtram sit potius, forma scrutiniij an compromissi? Respondeo: spectata principali intentione, est potius compromissum, vt notauit Ioann. Monachus, n. 9. & colligitur ex textu huius c. Potest autem compromissum fieri vel absolutè, vel limitatè, siue cum certa conditione, quæ obseruari debeat; videl. in proposito, vt inquisitis secretò singulorum voluntatibus, &c.

CAPI-